QVÆSTIO MEDICA 13

494

QVODLIBETARIIS CONCERTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS XV. IANVARII,

MAGISTRO CLAVDIO BOYVIN DOCTORE MEDICO MODERATORE.

An omnium partium simul conformatio?



NATVRA rerum omnium opifex, à nullo edocta sic agit, vt nihil præter admirationem in eius operibus desiderari posse videatur. Hoc in humano corpore (verè microcosmo) iatrices subiecto luce clarius apparet, quod quidem suæ magisterium artis: Illa non dura nouerca, sed mater pia tribus præstantissimis facultatibus, sedibus disclusis adornauit. Harum primam & excellentissimam in cerebro collocauit; secundę cor viscus calidissimum addixit: tertię iecur consultò datum est; eâ tamen lege vt mutuas regendo corpori tradant operas, vnâque aliarum auxilio destituta subsistere nequeat. Dictum sapienter σύῤῥοια μία, σύμπνοια μία, συμπαθέα πάντα.



VT cerebrum temperamento frigidum, (ex solo semine ortum) mentis domicilium, & arx rationis firmissima, spiritus animalis fons, sensum, etsi sensus expers, & motum per neruos spiritu vectore, hinc inanis irradiatio: Sic cor, viuifici nectaris scaturigo, spiritum vitalem ex naturali, à quo specie differt, non ex aëre in sinistro suo ventriculo perfectè elaboratum, per arterias partibus similaribus annumerandas; sic quoque e hepar per venas sanguinem, proprium opus ad hominis nutritionem, toti corpori impertit, quęquidem tres partes cùm regant & à nullo regantur meritò principes dicendę. Pulmonis, ventriculi, lienis, renum & vtriúsquę vesicę etsi publicum officium, nulla tamen principatus insignia.



OMNIBVS his aliísque ossa, partes siccissimę & frigidissimę, tanquam fulcra & fundamenta súbsternuntur, quę non solum τῷ σώματι στάσιν καὶ ὀρθότητα καὶ εἶδος παρέχονται, sed & his cęterę partes affiguntur vinculísque inuicem connectuntur, ne animal ad quod destinatum est, inutile redderetur: membrana vestiuntur, ab eádemque sensum mutuantur exquisitissimum: venarum beneficio nutriuntur, quę sanguinem ab hepate, vt à stomacho chilum iecur, attrahunt, ad id fibris rectis predit ę. Illorum pręcipuè proximi alimenti reliquiæ in materiam seminis abeunt, ab iísquę secedunt, & per communia organa in testes delabuntur.



HI (maiores in maribus quàm fœminis) inter nobiles partes iurè recensentur, imò cerebro, corde & hepate pręstantiores. Eorum vis ac energia tanta percipitur, vt quibus amputantur, licet vasa illęsa maneant, non modò facultas procreandi eripiatur, sed etiam omnis masculi pristinus habitus intereat. Vasa habent per quę ad ipsos pręparata seminis materia defertur, duas scilicet venas totidémque arterias; Venarum dextra quidem ab ipso venæ cauę descendentis trunco immediatè, sinistra verò ab emulgente emergit. (An inde mares in dextris & à dextris, feminę in sinistris & à sinistris?) Arterię venas vt plurimùm sequuntur, hac in parte potissimùm vbi ita venis cohęrent vt vix nisi illacerę separari queant. Tàm nobiles, tantísque virtutibus pręditos quis solo pondere vtiles dixerit?



QVEM à vasis pręparantibus incrassatum & albescentem humorem excipiunt, dicimus semen & non semen. Excoquitur & semen fit solius istius glandulę tactu. Tale vterus appetit temperatus, & ritè conformatus blandè excipit, probè tùm mole tùm viribus miscet ac propria vi promouet in actum, quod fecisse ei satis est. Cętera spiritus genitor peragit qui in calido humido situs, procreatricis facultatis (animę suo tempore ad futurę vicarię & ad naturalem referendę vtriúsque parentis semini inditę) pręcipuum organum, partes dissimiles secernit, tenuiores magísq; spirituosas ad centrum cogit, crassiores verò & viscidiores ad superficiem amandat, ex quibus tres membranas fętum inuoluentes inchoat: Tùm quoquouersùm per totum seminis corpus discurrens, operi tamen sedulò incumbens, omnes partes tàm internas, quàm externas pręcipuè spermaticas, eodem tempore simúlque delineat, tametsi magis necessariæ priores in conspectum veniant.

Ergo omnium partium simul conformatio.

Asserebat ROBERTVS TVLLOVE Carnuteus, Anno DC. XV.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Gabriel Harduin de S. Iacques.
M. Michaël de la Vigne.
M. Ioannes Tournier.
M. Iacobus Perreau.
M. Guillelmus Gerbault.
M. Franciscus l'Espicier.
M. Ioannes Mercier.
M. Michaël Toutain.
M. Guillelmus l'Escaillon.

